

Ab iis autem, qui hujusmodi licentiam postulaverint, eo quod aëris mutatione opus sibi esse dicant ad convalescendum ex morbis, quos in suis Ecclesiis residendo contraxerunt, exprimendum erit in precibus, quo morbi genere et quam graviter laborent, ac proferendum testimonium medici, qui jurejurando testetur, utile ac necessarium Oratori esse, ut in aliam regionem atque aërem per ali-quod tempus se transferat. Nec illud silentio praetereundum: an scilicet Orator, antequam morbo corripere-tur, trimestri licentia a Concilio permissa usus fuerit; si enim id nondum fe-cerit et tempus a Concilio indultum sufficiens ipsi non reputetur, poterit eidem concedi, ut per quatuor menses, in quibus tamen conciliares menses comprehendantur, a residentia absens permaneat, at si praedictos conciliares menses remoto omni dolo et fraude jam extra dioecesim transegerit, tan-tum temporis ipsi indulgeatur, quan-tum ad confirmandam ipsius valetudi-nem vere necessarium esse prudenter judicabitur.

Qui tandem licentiam commorandi extra dioecesim postulabit propter malignitatem aëris, quem in sua dioe-cesi aliquo anni tempore insalubrem esse affirmet, is videat etiam atque etiam quid agat; et quidem pro veri-tate exponat, quibus anni mensibus perniciosus sit aër; item: an eadem coeli temperies totam comprehendat dioecesim, ita ut nullus intra ejus tractum locus existat, in quo suspec-tum illud tempus absque salutis de-trimento transigere valeat; postremo: an consiliariis mensibus usus fuerit. Etenim si nondum eos sibi sumpserit, non aegre obtinebit Indultum abessendi per quatuor menses (quatenus pericu-lum ab aëre tamdiu durare censeatur), in quibus tamen tres illi a Concilio permissi numerandi erunt: Si autem

hujusmodi Concilli Indulgentia jam usus fuerit, frustra novum Indultum prae-dicta de causa ab apost. Sede postu-labit sibi imputare debet, quod, quum sciret certo anni tempore in sua dioecesi aërem insalubrem fore, con-cessos vacationis menses in tempus illud non reservaverit. In omnibus autem absentiae Indultis, quae ratione aëris insalubris in posterum conceden-tur, hanc clausulam adjici volumus: *Dummodo intra dioecesim aliquis locus non adsit, in quo aër salubris sit, in quo Episcopus commorari possit.*

Sane praedictus Urbanus Praeeces-sor non praetermisit eorum Antistitum causam considerare, qui provincialibus Conciliis vel Congregationibus seu Assembleis generalibus, in quibus Ecclesiastici intervenire solent, per-sonaliter interesse sive in aliis mu-neribus aut Reipublicae Officiis, quae ipsorum Episcopatibus Ecclesiisque ad-juncta sunt, ad certum tempus extra dioecesim occupari solent ac debent; et his quidem in praecitata Constitu-tione licentiam abessendi concessit pro eo definito tempore, quo ejusmodi Concilia, Congregationes et Assem-bleae peragentur exercitiumque mu-neris seu officii publici eorum Eccle-siis adjuncti actu duraverit, dum-modo iis finitis recto tramite ad Ecclesias sibi commissas sese con-ferrent, cujus concessionis aequita-tem Nos quoque agnoscentes eandem approbamus et confirmamus. Sed quum idem Urbanus nihil statuerit de Episcopis, qui a residentiae suae loco discedunt pro processuum in causis Beatificationum aut Canoni-zationum compilatione, apost. aucto-ritate ipsis delegata, necesse est aliquid a Nobis pro his etiam casibus opportune constitui.

Expediuntur a Congregatione S. R. literae, quas vocant Remissoriales et Compulsoriales, quibus committitur, ut

supradicti processus auctoritate apost. conficiantur, aequè diriguntur tribus Episcopis aut Superioribus Praelatis cum clausula: *ut duo ad minus pro-cedant.* Cumque in hujusmodi Epi-scoporum numero semper includatur Ordinarius loci, in quo processus con-struitur, fere contingit, e tribus, ad quos literae sunt directae, unum dum-taxat a residentia avocari. *Ubi itaque aliquis Episcopus Titularis Ecclesiae in partibus infidelium constitutae ha-beri possit, volumus eum in praefatis literis pro uno ex tribus Episcopis comprehendere.* Quod si tres omnino Antistites in propriis Ecclesiis resi-dentes ad hujusmodi effectum delegari oporteat, statuimus atque praecipimus, *ut literae a praedicta Congregatione dirigantur Episcopis, qui viciniore sunt dioecesi, in qua apostolicus pro-cessus conficiendus erit.* Quoniam vero non de re agitur, quae duabus tribus hebdomadibus perfici queat, sed quae plurium saepe mensium aut etiam annorum operam requirit, vo-lumus, ut Episcopi, qui ejusmodi de-legationem acceptaverint, necessariam licentiam abscedendi a dioecesi, cau-sam absentiae exprimendo, petere et impetrare non omittant sub poenis adversus eos constitutis, qui absque causa extra dioecesim commorantur. *In hujusmodi autem licentiis conce-dendis statuimus, ut conciliares men-ses semper comprehendantur, et prae-ter eos triginta dumtaxat dies,* si opus fuerit, adjiciantur; nam et ad plura peragenda quadrimestre spatium suffi-ciens est, et, si adhuc facienda super-sint, quatuor alii menses sequenti anno in idem opus insumi poterunt.

Haec sunt, quae salubriter in Do-mino statuenda judicavimus, quaeque pro regula et norma in posterum ha-beri volumus, ut a Venerabilibus Fra-tribus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis gravissimum, quod ipsis in-

cumbit, residentiae officium exacte im-pleatur. Itaque dilecto Filio moderno praefatae Congregationis super eadem residentia Secretario ejusque Succes-soribus in perpetuum injugimus et in virtute sanctae obedientiae sub poenis contra obedientes mandatis apostolicis in re gravi praecipimus atque jubemus, ut supplices libellos pro parte quorum-cumque Antistitum sibi oblatos, in quibus ea, quae supra adnotavimus, expressa non fuerint, quibusque ne-cessaria authentica documenta, supe-rius pariter indicata, non sint adjuncta, nullo modo recipiant multoque minus ad Pontificem referant. In Decretis autem, quae post Pontificium assen-sum ab ipsis Secretariis in consueta audientia reportatum a Cardinali ejus-dem Congregationis Praefecto subscri-benda erunt, suprascriptas clausulas respective apponere non praetermit-tant, illud etiam expresse cavendo, ut, quae conceduntur *Indulta, a die datae ipsorum Decretorum decurrere intelligantur.*

Denique VV. Fratres Patriarchas, Primate, Metropolitanos et Episco-pos omnes monemus, ut non solum ipsi statutas de residentia leges ada-mussim observent, sed etiam memores sint Decreti a S. Trid. Synodo editi *sess. 6. cap. 1. de Reformatione, quo jubentur singuli pro virili parte in aliorum agendi rationem respectivo vigilare et non residentes Romano Pontifici infra certum tempus denun-ciare.* Nostris quoque et apost. Sedis Nuntiis hoc idem demandamus et in-jungimus, ubi intra ipsorum Nuntia-turae districtum aliquis Episcopus seu Superior Praelatus existat, qui cano-nicas leges hac in parte violare di-gnoscat.

Et quia Nobis relatum est, *nullibi frequentius praedictas leges ab Epi-scopis violari, quam in proximo Nea-politano regno* (neque vero id mirum

in tanto eorumdem numero), volumus atque statuimus, ut in Indultis absentiae, quae pro Episcopis praedicti regni in posterum expediri contingat, ad caeteras clausulas superius praescriptas haec etiam addatur: *ut obtenta licentia exhiberi debeat apostolico Nuntio Neapoli commoranti, alioquin nullius roboris et momenti habeatur.* Nos siquidem praedicto Nuntio earundem praesentium tenore committimus, ut hujusmodi licentias in acta sui tribunalis referi faciat itemque de causis, propter quas concessae fuerint, inquirat ac tempus in iis praefinitum observet ad hoc scilicet, ut et per eum resciri possit, si quid obreptum aut subreptum fuerit in precibus; et ipsum latere nequeat, si quis praescriptos sibi limites transgrediatur sive absque necessario apost. Sedis Indulto, extra tempora a Concilio permissa, longe ab Ecclesia et dioecesi sua commoretur. Pro iis autem, qui, ut Nobis pariter relatum fuit, dioeceses suas deserunt, et non quidem in Urbem regni principem, ubi apostolicus Nuntius moram trahit, sed in alias se conferunt ejusdem regni civitates, quin ipse Nuntius quidquam de ipsis audiat, injungimus eidem Nuntio, ut per Officiales suos atque Ministros, quos in omnibus dioecesibus retinet, curet se certiore fieri de Episcopis, quicumque a propriis dioecesibus recedunt, ut et ii, qui obtentis licentiis abutuntur, et multo magis ii, qui proprio Marte se gerere praesumunt (dum vel absque praevia licentia, praeter tempus a Concilio indultum a suis dioecesibus absunt, vel si ob aliquem inopianatum eventum ab ipsis discedere compulsi fuerint, hujusmodi licentiam statim ac ad destinatum locum pervenerint, petere et impetrare non curant), severiori sacr. Canonum et apostolicarum sanctionum censurae subjiciantur.

Caeterum intendimus sub praesentium literarum Nostrarum ordinatione et dispositione etiam ipsos Venerabiles Fratres Nostros Sanctae Rom. Ecclesiae Cardinales, qui patriarchalibus, primatialibus, archiepiscopalibus et episcopalibus ecclesiis praedictis ex concessione et dispensatione apostolica nunc praesunt et in futurum praeerunt, comprehendi ac comprehensos esse et fore.

Praesentes quoque literas omniaque et singula in eis contenta, de subreptionis aut cujuscumque nullitatis vel invaliditatis vitio intentionisque Nostrae, ac quocumque alio defectu, etiam ex eo, quod in praemissis quomodolibet interesse habentes seu habere praetendentes, et praesertim ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, praemissis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, solemnitatesque et alia servanda et adimplenda nullatenus servata et adimpleta fuerint, ac quocumque alio colore, praetextu, occasione et causa, etiam necessario exprimenda, a quoquam notari, impugnari, in jus vel controversiam revocari aut ad terminos juris reduci vel adversus illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodvis juris, facti vel gratiae remedium impetrari nullo unquam tempore posse, sed semper perpetuoque valida, firma et efficacia esse et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit, in futurum inviolabiliter observari, perinde ac si in Consistorio Nostro secreto et de eorumdem Fratrum Nostrorum consilio et unanimi consensu emanassent.

Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis, etiam in universalibus, generalibus, provincialibus et synodalibus Conciliis editis vel edendis, necnon, quatenus opus sit,

de non tollendo jure quaesito aliisque cancellariae apostolicae regulis, statutis quoque, etiam diuturnis et immemorabilibus dictarum respective Ecclesiarum, necnon licentiis, privilegiis et indultis etiam apostolicis, eisdem Ecclesiis earumque Praesulibus quomodolibet hactenus concessis omnibusque et singulis aliis, quae praedictus Urbanus suarum literarum firmitati et executioni voluit non obstare caeterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum Ordinationum, Constitutionum, Derogationum, Praeceptorum, Statutorum et Decretorum infringere seu eidem ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud s. Mariam Maj. anno Incarnationis Dom. die 3. Sept. 1746.

(*Ex dissertatione Ludovici Henry, juris can. licentiati. Lovanii 1863.*):

Quid dicendum de Episcopis, qui hodie Senatores a Gubernio creantur vel renuntiantur membra congressus instructionis publicae? An possint absque licentia Summi Pontificis a suis Ecclesiis abesse, ut senatus vel congressus sessionibus intersint?

Ad solutionem hujus quaestionis sufficit attendere ad textus tum Concilii Tridentini tum Urbani VIII. Loquantur enim de munere seu officio publico Episcopatibus adjuncto; quod non verificatur in munere Senatoris seu membri congressus, quale hodie in Galliae Episcopis confertur. Munus enim Senatoris, quo exornantur Cardinales, non eorum dioecesibus adnectitur, sed Dignitati cardinalitiae; Episcopi vero, qui congressus instructionis publicae membra sunt, id

non debent privilegio Ecclesiarum, quibus praesunt, sed nominationi imperatoris personas ipsorum eligentis. Debent ergo praedicti Praesules, si praeter absentiam trium mensium, quam in adimplendis his functionibus sumere possunt, insuper aliam absentiam facere velint, a Romano Pontifice licentiam postulare et obtinere.

(Anal. J. P. 1864 p. 766.)

Vd. p. 160. 150.

h) Processus in non residentes.

Vd. p. 146 etc.

Causarum curiae camerae apostolicae generalis auditoris facultates procedendi contra Archiepiscopos, Episcopos caeterosque Praelatos in suis Ecclesiis et dioecesibus minime residentes.

Pius PP. V. motu proprio etc.

§. 1. Cum alias per felic. record. Pium IV. Praedecessorem Nostrum, juxta formam Conc. Trid. et aliarum bullarum emanatarum, tam ab ipso Pio Praedecessore Nostro quam aliis Romanis Pontificibus motu proprio, cujus tenores pro expressis haberi volumus, ex ipsius certa scientia et de apostolicae potestatis plenitudine, fuerit mandatum dil. filio Alexandro Riario, Nostro et curiae causarum camerae apostolicae generali auditori, ut omnes Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas et alias ecclesiasticas personas, cura animarum habentes non residentes, poenas in dicto Concilio et Bullis contentas incurrisse declararet, et ad illarum effectum executioni demandarentur per eundem Alexandrum auditorem Nostrum.

§. 2. Et ut, ne de ejus jurisdictione in posterum dubitare contingat, denuo eidem auditori Nostro auctoritate Nostra committimus et mandamus quatenus statim, tam contra Episcopos quam Archiepiscopos et alios quos-

cumque praefatos, tam in Urbe quam alibi et ubique locorum existentes et in propriis dioecibus non residentes, constituto sibi quantum sufficere videbitur, summarie, simpliciter et de plano, sola veritate inspecta et manu regia de inobedientia propria usque ad sententiam exclusive procedat.

§. 3. Et deinde Nobis referat, ut Nos in Consistorio Nostro secreto de Fratrum Nostrorum consilio, ut moris est, ad sententiam privationis et depositionis Praelatorum inobedientium huiusmodi procedere valeamus, prout procedere intendimus.

§. 4. Quo vero alios curam animarum habentes usque ad sententiam inclusive procedat et exequatur juxta formam et tenorem dicti Concilii et literarum Nostrarum praefatarum cum eisdem facultatibus, ut supra, et alia faciat et exequatur, prout in dictis literis sine Bullis continetur, cum potestate citandi, inhibendi, excommunicandi, suspendendi a divinis, declarandi, interdicendi, aggravandi, re-aggravandi, carcerandi et brachium saeculare decernendi, relaxandi et exequendi aliaque faciendi necessaria quomodolibet et opportuna.

§. 5. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

§. 6. Et quod praesentis Nostri motus proprii sola signatura sufficiat ac ubique fidem faciat, in iudicio et extra, regula contraria et aliis quibuscumque, quibus omnibus expresse derogamus, non obstantibus etc.

Datum die 10. Junii 1566.

(Bull. r. t. VII. p. 464. Ed. Aug. Taur. 1862.)

i) Tempus.

Vd.: *Resid. Episcopi* (oblig., causae etc., Constit. Bened. XIV.: *Ad universae* p. 144).

Apud Tridentinum sess. 23. cap. 1. ibi: „Eisdem (Episcopis) interim ad-

monet et in Domino hortatur, ne... dominici Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis Dom., Pentecostes, item et Corporis Christi diebus, quibus refici maxime et in Domino gaudere Pastoris praesentia oves debeant, ipsi ab Ecclesia sua Cathedrali ullo pacto absint, nisi episcopalia munia in sua dioecesi eos alio vocent.“

Liceat insuper sequentia ex *Fagnano* adnotare: „In S. Congregatione super residentia Episcoporum habita in Quirinali die 17. Julii 1657, cui interfuerunt EE. Cardinales Ginettus, Melius et Paulucius necnon R. P. D. Farnesius, Alterius, Gualterius, Uguilinus, de Vecchis Secretarius, et ego, proposita fuerunt ex ordine Sanctissimi infrascripta dubia, videlicet:

Cum S. Conc. Trid. cap. 1. sess. 23. de Reformat. permittat Episcopis, ut singulis annis, dummodo aequa ex causa et absque ullo Gregis detrimento fiat, abesse possint a sua dioecesi per duos aut ad summum tres menses, quaeritur:

Primo: an Episcopus possit jungere trimestrem absentiam unius anni cum absentia trimestri sequentis anni, adeo ut licite abesse valeat a sua Ecclesia per menses Octobris, Novembris et Decembris anni v. g. 1657 et continuare absentiam per menses Januarii, Februarii et Martii 1658?

Secundo: an Episcopus in casibus, in quibus rationabilem causam habet non residendi, debeat uti mensibus per S. Concil. concessis et non nisi ipsis consumptis, quatenus absentiae causa duret, licentiam petere non residendi, an vero primo licentiam petere et ad alios usus reservare bimestre aut trimestre tempus a Concilio concessum? Per Bullam s. m. Urbani VIII. super residentia Episcoporum incip.: *Sancta Synodus etc.* permittitur, ut Episcopi ad effectum visi-

tandi statutis terminis Sacra b. Apostolorum limina, abesse possint a suis Ecclesiis per certum tempus; hinc:

Tertio quaeritur: An Episcopus visitans Sacra limina in fine unius termini, v. g. in fine unius triennii, possit immediate in principio sequentis triennii iterum visitare ac proinde visitationum titulo abesse a sua Ecclesia per octo continuos menses?

Quarto quaeritur: An Episcopo, qui antea per multum temporis v. g. per decem continuos annos in sua Ecclesia resedit et vel ab ipsa vacatione per S. Concilium ex rationabili causa singulis annis permessa semper se abstinuit, possit aliquando concedi facultas non residendi per aliquod tempus, licet non adsit ulla causa ex approbata ab eodem Sacro Concilio Tridentino?

S. C. resp. *ad primum*: Non posse, tum quia ejusmodi semestris absentia complectitur illius temporis spatium dominici Adventus et Quadragesimae, quo ne a sua quidem Cathedrali nedum a dioecesi Episcopo abesse licet, ut in Conc. Trid. d. cap. 1. sess. 23. *vers. eosdem interim admonet*; tum quia in eo, qui abest sex mensibus continuis, non verificatur illud verbum *aliquantisper*, quo utitur Concil. in d. cap., dum ait: *Quoniam autem, qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia non videntur abesse*, cum Concilium illud (spatium) restringat ad duos vel ad summum tres menses, et antiqui canones ad unum vel ad duos; et quatenus verificaretur illud *aliquantisper*, non tamen verificantur sequentia, videlicet, *quia statim reversuri sunt* (d. cap. 23. Trid.), nam qui abest per semestre tempus, utique non statim est reversurus, cum dictio *statim* regulariter significet modicum temporis intervallum...

Ad secundum: S. Congreg. consultius putavit, nihil generaliter respondere, sed ubi casus particulares acciderint, maturius deliberare.

Ad tertium: Episcopum, qui beat. Apostolorum limina visitavit, v. g. in fine unius triennii, nequaquam posse immediate in principio sequentis triennii iterum visitare ac proinde nec visitationis titulo per octo continuos menses a sua Ecclesia abesse.

Ad quartum: Non posse; quam Congregationis sententiam S. D. N. ad se relata in omnibus approbavit.

Ita apud Fagnanum ad cap.: Qualter, de Cleric. non resid. n. 40. et seqq.

Atque has resolutiones confirmavit quoque Benedictus XIV. in sua praed. Constitutione incip.: *ad Universae* §.: primum.

13) Formalis et materialis.

Vd.: *Resid. Episcop.* (oblig. etc., decr. Bened. XIV. ad Episcop. *Hiberniae*); *Resid. parochi* (personalis).

14) Generalium Ordinum.

Benedictus PP. IV.

Praecipua quaestio illa fuit: *Quaenam essent monasteria, in quibus Abbates generales seu capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent?*

Contententibus nonnullis, quodlibet monasterium aut locum quemlibet, in quo Abbas generalis sive caput Ordinis manet, ibique moratur, sedem ipsius ordinariam principalem dici oportere, ita ut ejusdem monasterii aut loci parochus ab episcopali jurisdictione et visitatione immunis statim fiat. Verum vaga et arbitria huiusmodi sedes, quae a sola Superioris generalis praesentia naturam sedis ordinariae et principalis mutuatur, tum rectae rationi tum Concilii verbis ac sensui plane adversatur.

Qua propter quum nobis compertum sit in aliquibus ordinum regularium constitutionibus assignatum reperiri locum pro residentia Superioris generalis ejusque curiae, in aliis vero ordinibus, ubi constitutiones de eo nihil statuunt, eandem residentiam veteri consuetudine esse praefinitam, quoties de ordinum hujusmodi Superioribus generalibus agatur, eorum sedem ordinariam principalem ad effectum, de quo agitur, illam esse et censi decernimus, quae ab ipsorum constitutionibus vel ab inveterata consuetudine praedicta praescribi dignoscitur; idque tantummodo monasterium, non vero aliud, in quo quacunque de causa, Superior generalis commoratus fuerit, pro ordinaria Generalis sede haberi praecipimus, licet ipse Generalis ibi actu non resideat.

Quod si aliqui sint religiosi ordines seu Congregationes, quorum constitutionibus vel consuetudinibus minime praefinitum sit monasterium, in quo Abbas generalis seu caput ordinis residere debeat, nullum monasterium pro ejusdem Generalis sede ordinaria principali ad effectum eximendi parochum ab Episcopi jurisdictione et visitatione, ex eo tantum haberi debere statuimus, quod solus ipse Superior generalis in eo degat, absque consuetis ministris, quos in ordine regendo socios habet; sed illud dumtaxat monasterium pro sede Generalis ordinaria principali haberi volumus, quod semel ipse Superior generalis seu caput Ordinis initio generalatus elegerit pro sua stabili residentia et officialium seu ministrorum praedictorum. Verum si, facta semel hujusmodi electione, eandem postmodum variare praesumpserit, declaramus neque monasterium initio electum neque alterum, etiamsi cum sua curia eo se transtulerit, privile-

gia ordinariae et principalis generalitiae sedis habiturum.

Constit. diei 6. Nov. 1744.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 432.)

15) Licentia absendi ab Episcopo petenda.

Vd.: *Resid. parochi* (absent.; licentia; tempus); *Resid. parochi* (oblig., decr. anni 1573 Rhegien.)

16) Parochi.

a) Absentia.

Cf.: *Residentia Canonico. Parochor.*; *Residentia paroch.* (temp. absendi.)

(Conc. Tr. sess. 6. cap. 2.; sess. 23. cap. 1.)

Ad dubium: An parochi ab Ecclesiis suis abesse possint per duos menses sine licentia Episcopi?

S. C. C. resp.: Negative.

Mense Febr. 1573 (Ex l. I. p. 131 decr. rel. a Bened. XIV. Institut. XVII.)

Eodem modo, quum proponeretur, esse in Toletana dioecesi presbyteros, qui se per aliquod tempus absque Ordinarii licentia abesse posse putarent, eodem anno S. C. censuit: Non posse nisi causa cognita et probata ab Ordinario et ab eodem in scriptis obtenta licentia.

(Ex l. I. p. 202 decr. ap. ibidem.)

Solam distantiam loci etiam cum aequa causa discedendi non excusare parochum, ut possit abesse a sua Ecclesia sine licentia in scriptis obtenta, nisi talis necessitas reperte se offerat, quae non patiat dilationem hujusmodi licentiam petendi, quo casu quamprimum de discessu et de necessitate Ordinarium certiorum faciendum, ut de causa cognoscere possit. Nec parochum habentem justam causam abeundi extra parochiam per duos menses aut tres satisfacere suae conscien-

tiae, si petat licentiam jurans gravem se habere causam, quam non expediat manifestare, ut sic petita licentia abesse possit, licet Episcopus non concedat. Similiter abesse non posse in casu, quo causam rationabilem expressit, quam vir aequus et bonus rationabilem judicaret, licet rigidus Praelatus minus aequam judicet et licentiam denegat, vel quia movetur suspitione, quod ficta sit, quum tamen sit vera, sed habere posse recursum ad superiorem. Nec posse per hebdomadem abesse non petita vel non obtenta licentia, etiam relicto Vicario ab ipso Ordinario approbato. Nec esse liberum a culpa et a poena omissionis fructuum, qui veluti per quatuor mensium spatium ex urgente necessitate ad curandam suam valetudinem morbo gravi instante recessit et ad hujusmodi absentiam non petiit licentiam ab Episcopo, quia bona fide putavit evidentiam causae satis esse, nisi periculum fuisset in mora petendi licentiam, ut supra dictum est. Nec sufficere licentiam tacitam, sed oportere esse expressam juxta formam jeusd. Concilii sess. 23. cap. 1. (Ex l. X. decr. p. 100 rel. a Bened. XIV. Institut. XVII.)

Ad dubium 1.: An rectores ecclesiarum paroch. a civitate distantium per 2, 3 aut 4 miliaria circiter possint sine expressa licentia Episcopi abesse a suis parochiis relicto ibidem Substituto ab eis deputato et in civitate tam diurno quam nocturno tempore jugiter commorari, exceptis solis diebus festis, in quibus ad dictas Ecclesias se conferunt revertentes illico ad civitatem?

2.: An parochi, qui nocturno caeteroquin tempore resident apud suas Ecclesias, possint celebrata summo mane Missa in dictis Ecclesiis se conferre ad civitatem et in ea diurno tempore totius vel majoris partis anni

commorari, licet apud dictas Ecclesias adsint eorum Substituti?

3.: An dicti parochi, qui caeteroquin diurno tempore resident apud suas Ecclesias, possint nocturno tempore totius vel majoris partis anni commorari in civitate, licet apud dictas Ecclesias adsint eorum Substituti?

S. C. C. resp. ad 1., 2. et 3.: Negative.

Die 10. Maii 1687 *Fulginat.* (Rel. ab eodem Bened. XIV.)

In casu absentiae parochi cum debita licentia deberi oeconomio (i. e. Vicario) provisionem in summa inter ipsos, parochum et oeconomum, concordanda, praevia tamen approbatione Episcopi quoad personam oeconomii.

S. C. C. die 15. Mart. 1738 *Suesana* ad 4.

b) Dispensatio.

Reatina.

Ad compescendam contumaciam et socordiam nonnullorum, qui parochiales Ecclesias sive Dignitates et Canonicatus in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis ac alia beneficia personalem residentiam requirentia obtinent, quique eorum residentiae munus oblitii, in Urbe et Romana Curia ultra tempus a Sac. Conc. Trid. et a Constitutionibus Apostolicis respective eis permissum moram trahere non verentur, emanavit edictum die 8. Martii 1710 de oraculo vivae vocis SS. D. N. ab Emo Urbis Vicario et quotannis publicari consuetum, in quo stricte injungitur tam Archiepiscopis, Episcopis atque Praelatis Superioribus quam supradictis parochis, dignitatibus, canonicis et beneficiatis residentiae obnoxiiis, ut infra duodecim dierum spatium, ab eadem Urbe discedere et ad suas respective Ecclesias se conferre ibique personalem residentiam facere tenerentur eo tamen addito: *Et si*

aliquis praedictorum Canonorum et Beneficiatorum, ut supra, lapso termino praedicto, per mensem discedere neglexerit, extunc fructus beneficiorum suorum non faciat suos, nec tuta conscientia etiam alia declaratione non sequuta illos sibi detinere possit, sed teneatur illos fabricae Ecclesiarum aut pauperibus loci erogare aut ipso non erogante per Superiorem ecclesiasticum ad dictam erogationem faciendam compellatur.

Cumque nihilominus magnus subinde in Urbe creverit eorundem beneficiorum non residentium numerus, hinc ad relationem R. P. V. Gerentis SS. D. N. in sequelam praelibati edicti commisit huic S. Congr. super residentia Episcoporum, ut desuper adhiberetur opportunus remedium. Quapropter eadem S. Congr. sub die 10. Februarii 1710 mandavit praesignatum edictum fore renovandum bis in anno etiam contra regulares beneficiatos cum munere residendi, cum comminatione respective poenarum, ac inhibendum signaturae Justitiae, ut desuper manus non apponat, necnon quod in Indultis, quae expediri solent a S. C. C., abessendi ex causis legitimis addatur clausula isthaec: *Quod non suffragentur ad evitandas poenas contentas in edictis Emi Vicarii contra non residentes, nisi exhibeatur infra octo dies in Secretaria ejusdem Emi Vicarii, quae exhibitio adnotari debeat in libro particulari ad hunc effectum in eadem Secretaria retinendo, necnon in calce eorundem Indultorum gratis.*

Cum autem Jo. Paulus Colellus Canonicus Coadjutus Ecclesiae Cathedralis Reatinae, attentis infirmitatibus, quas patitur in gravi aetate annorum 75, petierit et sub die 30. Augusti obtinuerit a Sac. Cong. Conc. Indultum abessendi a locali residentia et commorandi in Urbe per sex menses, addita supra recensita clausula exhi-

bendi praefatum Indultum in Secretaria d. Emi Vicarii, alias d. Oratori illud non suffragetur, ad evitandum poenas contentas in edicto memorato Emae Suae contra non residentes praefatum Indultum exhibuit in Episcopali Curia Reatina die 22. Aug. ejusdem anno 1711 et expeditionem ac executionem in solita forma reportavit. Verum quia Capitulum in repartitione distributionum, portionem sex mensium in primo Indulto contentorum solvere recusavit Oratori eamque inter alios Canonicos distribuit, ex quo praefatus Orator clausulam exhibitionis Indulti praedicti non adimpleverit. Hinc Orator ipse, qui ex incuria in hujusmodi omissionem incurrisse fatetur, recursum humiliter habuit ad hanc S. C., a qua prodiit tenor supradictae clausulae, credens caeteroquin casum hunc minime comprehendi sub praefato edicto, eoque magis quia tempore absentiae Oratoris, servitium Ecclesiae in nihilo fuit defraudatum ob interestiam Coadjutoris; et quatenus comprehendatur, exoravit ipsi esse ex gratia indulgendum.

Praemissa omnia confirmavit Episcopus Reatinus informare requisitus ab hac Sac. Congr. ac censuit Oratorem de rigore juris fructus canonicales amisisse, quia in edicto Emi Vicarii inter alias poenas illa numeratur, quod beneficiati non faciant fructus suos eosque tuta conscientia detinere non posse; atqui distinguendo vacationem a servitio chori et absentiam a residentia locali putavit hujusmodi fructus non accrescere favore Canonorum sed verius erogandos esse fabricae Ecclesiae vel pauperibus arbitrio Superioris, ut disponit praefatum edictum, cum Coadjutor Oratoris eo absente servitium chori nunquam neglexerit.

Quo vero ad petitam gratiam excusans Relator Oratorem in pluribus

tam respectu aetatis quam infirmitatis, quibus in praesentiarum itidem premitur, censuit ejusdem precibus annuendum.

Itaque contingit hodie, ut ab EE. VV. examinetur et resolventur haec dubia:

I. *An Orator de juris rigore propter neglectam Indulti exhibitionem amiserit fructus sui Canonatus?*

II. *An praefati fructus Capitulo et aliis Canonicis accreverint?*

III. *An causae per Oratorem adductae sufficientes sint ad gratiam petitam consequendam in casu etc.?*

S. C. C. resp. ad omnia tria: In casu, de quo agitur, esse restituendos fructus Canonico Colello.

Die 29. Febr. 1712.

c) *Infirmitas et aetas num excuset?*

In dubio: Utrum infirmitas excuset parochum a residentia? duo casus sunt distinguendi. Primus est, cum parochus absens extra locum beneficii in morbum incidit, et hoc primo casu manifestum est, eum non teneri redire ad residentiam et si procederetur contra eum, non fieret illi praepjudicium.

Secundus casus est, cum parochus aegrotat in loco residentiae seu intra limites parochiae suae; et tunc S. C. C. declaravit, infirmitatem non excusare parochum a residentia. Sed si infirmitas sit curabilis et in loco parochialis non sit copia medicorum medicinarumque, posse ab Ordinario dari dilationem trium aut quatuor mensium parochi aegroti, ut curari possit in locis vicinioribus et commodioribus: interim tamen per ipsum Ordinarium deputato idoneo Vicario ad curam dictae parochialis, cum assignatione congruae portiois ex ipsius parochialis redditibus. Idem dicendum

esset, si parochum infirmum ex medicorum consilio oporteret coelum mutare ad breve tempus vel ire ad balnea. Verum (nota) si abscederet sine licentia, non excusaretur. Nam proposito dubio: an sit liber a culpa et poena amissionis fructuum, qui veluti per quatuor mensium spatium ex urgenti admodum causa ad curandam valetudinem, morbo gravi instante, a parochiali recessit et ad hujusmodi absentiam non petit licentiam ab Episcopo, quia bona fide putavit, evidentiam causae satis esse? S. C. censuit: non esse liberum, nisi periculum fuisset in mora petendi licentiam. Haec *Fagnanus* ad cap.: *Clericos*, de Cleric. non resid. n. 9. et seqq.

Eademque S. Congr. declaravit, nec causa senectutis excusari parochos a residentia. *Fagn.* l. c. n. 16.

d) *Licentiam absendi quis concedat?*

Vd.: *Resid. parochi* (tempus absendi; absentia).

Parochis possunt Ordinarii, aliquibus justis de causis, juxta Conc. Trid. formam, licentiam concedere recedendi a parochiali ad aliquod tempus, modo ea utatur intra limites praescriptos a Consilio sess. 23. de Reform. cap. 1., quia facultas hujusmodi non fuit ipsis Ordinariis ablata per modum proprium s. Pii V. publicatum de mense Junii 1568 super residentia Canonorum habentium parochiales. S. C. C. teste *Garcia* par. 3. de benef. cap. 2. n. 179. Et pro Ordinariis, qui talem licentiam concedere possunt, veniunt etiam Ordinarii Episcopo inferiores, ut Abbates et alii similes habentes Jurisdictionem et proprium territorium, sicuti et Capitulum Sede vacante. *Sanctarell.* variar. resolut. quaest. 5. n. 64., *Azorius* part. 2. lib. 6. cap. 10. quaest. 4., *Possevin.* de Offic. Curati cap. 1. n. 28. et 29., *Barbosa* de Offic.